Quelle: https://manuscripta.at/?ID=232
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



15

tradideris me in manus tribulantium me. quoniam insurrexerunt in me testes iniqui. et mentita est iniquitas sibi. Credo videre bona domini in terra viventium. Exspecta dominum viriliter age et confortetur cor tuum. et sustine dominum.

Ad te domine clamabo deus meus. ne sileas a me. et assimilabor descendentibus in lacum. Exaudi domine voce deprecationis mee. dum oro ad te. dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Ne simul tradas me cum peccatoribus. et cum operantibus iniquitatem. ne perdas me. qui locuntur pace cum proximo mala autem in cordibus eorum. et illis secundum opera eorum. secundum nequitiam adinventionum eorum. secundum opera manuum eorum tribue illis. redde retributionem eorum ipsis. quoniam non intellexerunt opera domini. et in opera manuum eius destrues illos. et non edificabis eos. Benedictus dominus quoniam exaudivit vocem deprecationis mee. dominus adiutor meus. et protector meus. et in ipso speravit cor meum. et adiutus sum. et reflorvit caro mea. et ex voluntate mea confitebor ei. Dominus fortitudo plebis sue. et protector salvationum christi sui est. Salvum fac populum tuum domine. et benedic hereditati tue. et rege eos. et extolle illos usque in eternum. Gloria patri. Ant. Dominus defensor vite mee. Psalmus.

Afferte domino filii dei. afferte domino filios arietum. Afferte domino gloriam et honorem. afferte gloriam nomini eius. adorate dominum in atrio sancto eius. Vox domini super aquas. deus maiestatis intonuit. dominus super multas aquas. Vox domini in virtute. vox domini in magnificentia. Vox domini confringentis cedros. et confrangit dominus cedros libani. Et comminuet eos tamquam vitulum libani. et dilectus quemadmodum filius unicornium. Vox domini intercidentis flamam ignis. vox domini concutientis desertum. et commovet